

Caput III. De matrimonio et Familia.

GS/2A

1      (Matrimonii sensus in sua prima institutione) Deus  
omnipotens dicens: "non est bonum hominem esse solum" (Gn.  
    ) "fecit hominem ab initio masculum et feminam", be  
nedixitque eis: "Crescite et multiplicamini et replete  
5      terram" (Gn 1, 28). Utrique ergo, viro et mulieri, aequa-  
litter communicavit dignitatem hominis qua personae et ad  
imaginem Dei facti; quae resplendet etiam in distincta  
eorum proprietate qua referuntur ad invidem simul et ad  
Deum; et specialius adhuc manifestatur eo quod in matri-  
10     monio ad opus procreationis, origini et incremento per-  
sonae humanae inserviendo vocantur, in propagatione ge-  
neris humani ipsi Creatori cooperando. "Propterea relin-  
quunt homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et  
fient duo in carne una" (Mt 19, 5; cf Gn 2, 24, Eph 5,  
15     31). Quod sane modo humanae condicioni <sup>\*</sup>congruo fieri non  
potest quin unusquisque dono intimi amoris plenaeque fi-  
delitatis comparti adhaereat ut sint etiam cor unum et  
anima una sive sacra fecunditas carnis etiam ex mutuo  
et sancto amore procedat unde utriusque perfectio augea-  
20     tur.

Est igitur doctrina catholica aequa aliena tum ab omni  
humanae sexualitatis deminuta aestimatione, sive biologi-  
ca, sive psychologica, sive sociologica, cum ab exaggera-  
ta eorum opinione qui perfectionem humanae personae in  
25     hac sexuali ratione quasi exhausti autumnant. Sed neces-  
sariam atque, Dei gratia, possibilem tenet virtutem cas-  
titatis, quae nullo modo in privatione consistit sed in  
vere humana et christiana dominatione qua sensus rationi  
subiciuntur et persona ipsa ad altiora extollitur. Certe  
30     omnis facultatis procreativae usus extra matrimonii iu-  
ra et saepa naturam humanam <sup>\*</sup>effendit ideoque et divinam  
legem offendit. Relatio vero sexuum eorumque officium in  
matrimonio castitate ita evanescunt ut digna omnino sint  
homine ad imaginem Dei creato.

35     Quando autem ex ipsius Dei vocatione simul ac dono p<sup>ro</sup>p-  
ter amorem regni coelorum sacer coelibatus amplectitur,  
tunc iam in terris angelica vivendi ratio adipiscitur,  
quae statum matrimonio perfectior absque dubio, ipso Chris-  
to Domino praeeunte, constituit; attamen, attentis peculia-

\* nec non obiectivae or-  
dinationi matrimonii...

\* deprimit et laedit

ribus circumstantiis, matrimonium in concreto magis commendandum esse potest, vero etenim sensu homo ad matrimonium vocatur. \* etiam

(Matrimonii sacramentalitas). Homo lapsus matrimonium 5 in splendore primae suae institutionis non servavit, quod tamen vim humanae vitae et societati non amisit; duritia vero cordis humani non raro depravatum (cf. Mt 19, 8s), Dominus noster Jesus Christus ad suam primigeniam unitatem et indissolubilitatem, humanae naturae ac personali dignitati summopere consentaneam, reduxit, illudque ad sacramentalem oeconomiam elevavit. Hac autem indole tanta est christiani connubii nobilitas et sanctitas ut ipsum purissimam atque fecundissimam Christi unionem cum Ecclesia reprezentet et sponsi in proprio eorum statu sacramentali gratia suffulti, symbolum ac testes esse possint atque debeant caritatis Salvatoris ad bonum etiam totius societatis humanae.

(Matrimonii natura et exigentiae). Ex dictis perspicitur instituti matrimonialis sicut ipsius sexum differentiae finem specificum ac primarium humani generis esse propagationem. Hac autem non animalis tantum, sed humana esse debet et christiana, ut ptoles, quae humanae personae dignitate pollet, non inconscie sed rationabiliter desidereturatque amanter recipiatur nec non sollerter educetur. Oportet insuper ut parentes ipsi veram constituant communitatem in qua amore mutuo magis ac magis uniantur, sese invicem compleentes et perficientes secundum verbum Scripturae: "Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam" ( ), ad quod sane sacramentali gratia iuvabuntur.

Amoris coniugalis veram puritatem coniuges colunt si eiusdem signa sibi debito modo praestantes ordinem naturae liter inditum condignae propagationis servant. Ne gravissimis quidem rationibus hunc propria industria separent ab illis naturalibus bonis ac finibus, qui insuper ipsis ipsorumque societati eodem commercio gignuntur. Sancta et inviolabilis parentibus sit vita prolis conceptae; si quidem iam ante partum ipsa dignitate et iure humano vere praedita est, cuius proinde actio directe occisiva 40 proprie inter crimina annumeratur.

Supra autem omnia iura, officia et virtutes vitae coniugalis, proprium principatum obtinet caritas supernaturalis, quae omnes Dei intentiones implet et complet, quae numquam excidit (I Cor 13, ) quae non quaerit quae sua sunt, quae 5 omnia sustinet, quae non cogitat malum neque perperam agit, quae patiens est atque benigna, in qua plenitudo legis invenitur, quod non minus <sup>\*</sup> in matrimoniali statu quam <sup>\*\*</sup> in tota <sup>\* de</sup> <sup>\*\* de</sup> vita christiana valet.